Vir Clarissime, atque Doctissime,

Fautor, atque Amice honoratissime,

Supremos in Philosophia Honores, jamdudum promeritos impetrasse Tibi gratulor. Carmina verò quod nulla transmittam in malam partem haud interpretaberis. Viginti enim elapsi plenè sunt anni ex quibus Consortio Poëtarum excessi, neque huicusque cum ijsdem in gratiam redii. Si tamen quacunque in re Tibi Tuisque inserviendi meam promptitudinem demonstrare potero me nunquam non habebitis paratum. Laudo virum eruditum, qui doctorum Comario oriundorum vitas exponere meditatur, sed vereor ut ex plerisque praeter nomen quicquam notatu dignum reperire possit. Diptycha nostra natalitia multis laborant mendis. Temporis praeterea injuria veterumque Aedituorum incuria factum est, ut nullius diem natalem indicare valeamus qui annum LXX vivendo attigit. Habes rationes, vir Clarissime, ob quas et hac in parte petito tuo satisfacere nequeo. Dabit Deus occasionem in posterum resarciendi quod jam invitus intermitto. Servet Te Numen optimum studiaque Tua ad Nominis Sui gloriam, Reipublicae emolumentum, parentumque solatium provehat! Ita vere vale et ut hucusque fecisti ama

Tuum

M. Joh. Chr. Kochium

Comarii d. 13 Febr. 1725.

A Monsieur
Monsieur Hoffmann
Candidat en Philosophie,
Etudient en theologie tres
sçavant
presentement
à
Leipzig

f couvert.

0. 130 V.